

absentia est causa per accidens submersionis. S. T. de veri. q. xxvi. ar. iij. viij.

¶ Ad octauum negatur consequentia sed in talibus est fallacia accidentis nec sequitur subiectum et predictum supponunt per eodem ergo talis est vera quando in propositione ponitur determinatio ut homo in quantum homo est albus. Et si queratur quid per se facit statum an scilicet substantia vel accidens. Dicendum quod est substantia ut est sub accidente. Et nota quod ly per se tantum valet sicut in quantum et tunc sensus est edificator per se edificat. i. edificator in quantum edificator edificat.

¶ Ad nonum dicit. S. T. de potentia. q. i. ar. i. ad octauum quod potentia dei semper est coniuncta actui sed effectus sequitur secundum imperium voluntatis et ordinem sapientie. Ad aliud negatur consequentia. Ad aliud dicitur quod licet motus celi non sit in instanti secundum se tamen est aliquod mutatum. Ad aliud dicitur quod domus est in edificari. Et causa est in actu quando forma est in fieri. Ad aliud dicitur quod conseruare non est efficere de nouo. Ad aliud de fine dicitur a quibusdam quod quando finis est in actu et est actu volutus tunc homo de necessitate vult media et sic aliquomodo sunt in actu sed de hoc alias. Ad argumentum ante oppositum dico quod causa idealis reducitur ad causam exemplarem. Et exemplaris ad formalem extrinsecam patet ex quo methaphisice exemplar tamen non est ars factiva rei sed id ad cuius imitationem fit effectus.



¶ Quartus sic procedit videtur quod physica non differat a mathe. quia physica et mathe. sunt circa idem ergo non differunt nisi patet quia astrologia est pars scientie mathematice et etiam est pars physice probatur sic per philosophum in textu ad quemcumque enim pertinet cognoscere substantias et naturas aliquarum rerum ad eum etiam pertinet considerare accidentia illarum sed ad naturalem pertinet considerare naturas et substantiam solis et lune cum sint quedam corpora naturalia ergo ad eum pertinet etiam considerare per se accidentia ipsorum scilicet figuram ipsorum et totius mundi quam etiam considerat astrologus. Item mathematica est de lineis superficiebus et corporibus et similiter naturalis scientia quia naturalis scientia est circa corpora naturalia quorum superficies et longitudo sunt accidentia igitur. Sed contra est philosophus.

¶ Respondeo dicendum secundum S. T. hic lec. iij. quod Mathematica et naturalis determinat de eisdem scilicet lineis et superficiebus et huiusmodi sed non eodem modo. Non enim mathematicus determinat de eis in quantum unumquodque eorum est terminus rei naturalis neque considerat ea que accidunt eis in quantum sunt termini corporis naturalis per quem modum considerat de eis scientia naturalis. Non est autem inconueniens quod idem cadat sub consideratione diuersarum scientiarum secundum diuersas considerationes. ¶ Notandum preterea quod quia mathematicus considerat puncta lineas et superficies et huiusmodi non in quantum sunt termini corporis naturalis ideo dicitur esse abstractus a materia sensibili et causa quare possunt abstrahere est quia secundum intellectum a motu abstrahunt. Ad cuius euidentiam considerandum quod multa sunt coniuncta secundum rem quorum unum non est de intellectu alterius sicut album et musicum coniunguntur in aliquo subiecto et tamen unum non est de intellectu alterius et ideo potest unum separatim intelligi sine alio et hoc est unum abstrahi ab alio. Manifestum autem est quod posteriora non sunt de intellectu priorum sed e converso unde priora possunt intelligi sine posterioribus

et non e converso ut patet de animali et homine vel homine et hoc homine. Nam homo se habet ex additione ad animal et propter hoc homo non est de intellectu animalis nec amedeus de intellectu hominis unde intelligere animal sine homine vel amedeo est abstrahere uniuersale a particulari. Similiter inter omnia accidentia que adueniunt substantie primo aduenit est quantitas. Deinde qualitates sensibiles deinde motus consequentes huiusmodi qualitates. Sic ergo quantitas non est de intellectu qualitatum sensibilium nec e converso. Clauduit tamen in suo intellectu substantiam. Potest igitur intelligi quantitas sine materia subiecta motui et qualitatibus sensibilibus non tamen absque substantia et ideo huiusmodi quantitates et que eis accidunt sunt secundum intellectum abstracta a motu et a materia sensibili non autem a materia intelligibili ut dicitur septimo metha. Ex quo patet quid est abstrahere. Quidam tamen ponunt duplicem abstractionem. Prima est secundum rem et est quando unum realiter separatur ab alio ut lignum a lapide. Alia est secundum intellectum et ista est duplex una fit per intellectum agentem et ista abstractio est facere de eo quod est intellectus in potentia quod sit intellectus in actu. Alia est abstractio pertinet ad intellectum possibilem et est intellectio prioris coniuncti cum posteriori non intelligendo posterius. S. T. i. q. xl. ar. iij. dicit quod duplex fit abstractio per intellectum. una quidam secundum quod uniuersale abstrahit a particulari ut animal ab homine. Alia autem secundum quod forma abstrahitur a materia et in hac abstractione utrumque potest manere in intellectu. Abstrahendo enim formam circuli ab ere remanet in intellectu nostro intellectus circuli et intellectus eris. Quid autem sit materia sensibilis et materia intelligibilis dicit. S. T. i. q. lxxxv. ar. i. quod materia sensibilis ab subiacet qualitatibus sensibilibus ut calido et frigido luci vel duro et molli sed materia intelligibilis est substantia secundum quod subiacet quantitati. Ex his patet quod materia sensibilis non includitur in intellectu mathematicorum neque in uniuersali neque in particulari unde mathematica sunt sicut numerus et magnitudo. Materia tamen sensibilis includitur in intellectu specierum naturalium ut in intellectu hominis includitur caro et os sed non hec caro et hoc os.

¶ Notandum preterea quod diuersitas que est inter mathematicum. i. geometram et arithmeticum ex una parte et physicum ex altera patet per diuersum modum diffinitionis quia mathematica diffiniuntur sine motu et materia sed physica diffiniuntur per materiam sicut finium in cuius diffinitione ponitur subiectum sensibile. Notandum preterea quod quedam sunt scientie medie ut astrologia de radio et musica que accipiunt principia abstracta a pure mathematicis et applicat ad materiam sensibiles sicut perspectiua applicat ad lineam visuaem ea que demonstratur a geometra de linea. Et dicit. S. T. quod huiusmodi scientie dicuntur esse magis naturales quam mathematice quod unumquodque denominatur et habet speciem termino sed iste scientie terminatur ad materiam naturalem ut quando astrologus ostendit terram esse rotundam vel quod sol in tanto tempore facit suum circulum. Et ideo non est mirum si astrologia concitet in conclusionibus cum scientia naturali quia tamen demonstrat per aliud medium ideo non est pure naturalis. Exemplum ut quod terra sit spherica demonstratur a naturali per medium naturale ut puta quia partes eius undique et equaliter concurrunt ad medium propter grauitatem. Ab astrologo autem ex figura eclipsis lunaris vel ex hoc quod non eadem